





DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA.

Qua

2474
664.
1661, 6.

DIFFERENTIÆ
NONNVLLÆ, INTER
JUS CIVILE JUSTINIANÆUM,
ET STATUTA MORESVE AR.
GENTORATENSIVM
EXHIBENTUR,

atq;
SS. TRINITATE AUXILIANTE

Ex Decreto & Autoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, ET
AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS
IN LYCEO PATRIO


PRO SUMMIS IN VTROQVE
IVRE PRIVILEGIIS ET HONORIBVS DO-
CTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

Placido Eruditorum Examini
SOLENNITER exponuntur

à

JOH. JOACHIMO REMO,
Argentoratensi.

Die 20. Mens. April. Horis locq; consuetis.



ARGENTORATI,
Typis CAROLINIS.

ANNO M DC LXI.

MAX
-500

V I R O S

Eruditionis famâ
Officiorum auctoritate
Meritorum in Rempublicam
Amplissima dignatione
Eminentes

JOH. JACOBUM FRIDIUM,
JOH. JOACHIMUM FRANTZIUM,

illum
Jureconsultum
& Illustris Reip. Argentoratensis
Syndicum gravissimum

Hunc
Incluti Quindecimvirorum
Collegii
laudatæ Reipub.

Secretarium fidelissimum
Disputationis huius Inauguralis
dedicatione

Sui erga ipsos obsequij
certiores reddere

Eorundemque sese Patrocinio
porro, quâ decet


observantia commendare sat agit

JOH. JOACHIMUS REMUS,



C. B. D.

DE DIFFERENTIIS NONNUL-
LIS INTER JUS CIVILE JUSTINIA-
NÆUM ET STATUTA MORESVE
ARGENTORATENSIIUM.

 Mnem ferè Gentem in Orbe Terrarum semper jus suum sibi peculiare habuisse, secundum quod viveret, historiæ docent. Cuius autem jura tantam adeptæ sunt auctoritatem, quantum Jus Civile Romanum, populum fuisse nullum verius est, quam ut nostro testimonio confirmari necesse sit. Id tamen fatendum est, nullam Gentem tam justum æquumve aut utile sibi jus condere posse, quod omnibus aliis postea Gentibus æquè utile ac salutare sit, quin melius faciat hæc aut illa natio, si à jure apud alios justo recedat. Hinc & Inclyta nostra Respublica Argentoratensis, quanquam Imperio Romano nomen dederit, atque adeo legibus illius vivat, ab his tamen multis in Capitibus, tum per expressa statuta, tum tacitâ consuetudine recessit. Quæ omnia notare labor esset non quidem inutilis, sed qui vires nostras plus quam superat. Ideoque pauca quædam de his collegi,

Tutaq. inexhaustæ libata est ora profundi.
(ut cum Sæculi nostri Nasone loquar) ista sufficere
ratus Disputationi Inaugurali, quam post consuetum
A Candi-

300

2.

Candidatorum Examen, quod DEO benè juvante, nuper sustinui, impræsentiarum Solenni eruditorum ventilationi propono. Manum ad tabulam FELICITER!

CAPUT I.

De Potestate Patria.



Ure Civili Justinianæo magna fuit Patrumfamilias in liberos potestas, & concernebat, (ut in materia prolixa breves simus) tum PERSONAS liberorum, tum BONA. Illas quod attinet, non poterant filii familias sine consensu parentis in cuius potestate erant, nuptias inire. *pr. Inst. de Nupt.* ubi obiter notamus, eos falli, qui matris consensum Jure Justinianæo requisitum fuisse docent, cum plus quam manifestum sit matres non habuisse liberos in potestate. §. 10. *Inst. de Adopt.* Locamer. *in not. ad d. ct. princ. Inst. de Nupt.* atque adeo nec Patris, ratione filii Emancipati, multò minus cognatorum. Nisi quod filia patre destituta necessarius fuerit consensus matris & propinquorum. *l. 20. C. de nuptiis.* Poterant deinde à Præsidi filii familias compelli ad alimenta parentibus ad inopiam redactis præstanda. *l. 5. C. de patr. potest.* Ulterius licebat patrifamiliastum ipsi filium ob quodvis delictum castigare, tum Præsidi Provinciæ puniendum offerre. *l. 3. & 4. C. d. ct. tit.* Poterant porro egestatis causa Patres filios suos certis conditionibus vendere. *l. 2. C. de patribus qui lib. distr.* & denique (quod tamen Justiniani temporibus jam sublatum erat) occidere. *l. ult. C. d. v. de pat. pot. l. 1. ff de lib. & posthumis.* Quoad bona filii familias tale jus erat Parentis, ut peculium quidem filii profectitium in solidum, h. e. quoad proprietatem, & quoad usumfructum Patrifamilias acquireretur, adventitium autem quoad usumfructum solidum. §. 1. *Inst. per quas personas cuiq. aq. adde Dn. D. Biccii Aurea. pag.*

3.
 59. quamdiu scilicet in potestate filius erat. Nam post emancipationem dimidiæ tantum partis bonorum filii adventitiorum usumfructum penes se retinebat pater. §. 2. d. t. Castrensis denique aut quasi Castrensis peculii nec proprietatem nec usumfructum patrifam. lucrabatur. d. §. 1. Inst. per quas person. & l. 4. Cod. de advoc. div. jud. Et in hac potestate manebant liberi, donec parens aut moreretur, aut ipsos emanciparet. princ. & passim Inst. quib. mod. jus pat. pot. solv. aut ipsi filii per dignitatem Patriciatus, Consulatus, Præfecturæ, Episcopatus, &c. ipso jure ex potestate patria exirent. Nov. 81. c. 1. 2. & 3.

Jure nostro Statutario tanta non est Parentum in filios potestas, siue personam eorum spectes, siue bona. Nisi quod circa nuptias contrahendas, quod primam differentiam inter utrumque jus constituit, liberiores fuisse videntur filii apud Romanos, quam in Nostrâ Republicâ. In hâc enim non tantum Patris, sed etiam matris, & si parentes desint, propinquorum consensum habere debet (non sola filia patre destituta, ut jure Civ. sed etiam) filius in matrimonio ineundo, si quidem vigesimum ætatis annum non superaverit; eâ in delinquentes pœnâ statutâ, ut hæreditatis paternæ aut maternæ reddantur incapaces, nisi ab ipsis parentibus, quos hoc modo læserunt, delicto condonato, ad successionem expressè vocentur; Illis, cum quibus clandestina ista sponsalia contraxerunt, in perpetuam relegatis; nisi & hoc à Parentibus aut propinquis læsis remittatur, *Secundum antiquû art. Wet hienan fürther iemand selu kund/ &c. in Msc. exemplari Statutorum nostr. quod penes nos, fol 106. sub rubr. Die Straff derer die iemand erwerben zu der Ehe.* At in cæteris plura secum traxit onera Patria potestas iure Iustinianæo quam nostro. Non enim II. sine distinctione coguntur apud nos filii aut filiafam. parentibus inopiâ laborantibus alimenta præstare; nec expressum eâ de re statutum habemus, sed id in iudicis arbitrio positum est. Inde fit ut pro facti circumstantiis nonnunquam, & quidem, quod fatemur, plerumque compellantur liberi, more Romano, ad alendos parentes; nonnunquam autem, licet rarius, non compellantur, etiam

A 2 tum

tum quando Parentes ad restituenda liberis bona adventitia, si quæ fortè possederunt, tam acriter urgentur ut omnibus bonis exuantur. III. Ob maiora filiorum delicta, privatâ authoritate non possunt parentes eos condignâ pœnâ afficere, adeo ut si hoc fecerint parentes, ob hoc ipsum coram Magistratu à liberis debeant accusari, *ut habet articulus: Dätte ein Burger oder ein Burgerin. in dicto MSc. exempl. fol. 141. sub rubr. von ungerathenen Kindern.* IV. Non tantum necare liberos quod semper apud Christianos, barbarum & irrationabile habitum; sed etiam vendere, quod à Justiniano toleratum fuisse ostendimus, apud nos est inauditum. V. In bonis liberorû adventitiis nullum apud nos ipso jure pater usumfructû habet, nisi ab eo constituatur, à quo ista bona proficiuntur. Quod denique VI. dissolutionem patriæ potestatis attinet, quoniam, ut diximus, ipsa potestas tanta non est apud nos, quanta fuit apud Romanos, ideo nec tales ad dissolvendam illam requiruntur solennitates. Videtur fere desinere moribus nostris cum liberi matrimonium ineunt, quod pro dissolvendi modo etiam habetur à Wurmbsero, *lib. 1. tit. 36. Obs. 9.* quoniam tum plerunque parens filium vitæ suæ rationem separatim institueret, eumque suo sibi arbitrato vivere patitur, quod ipsum jam olim ab Imperatore Leone pro ratione ex patria potestate exundi admissum fuit, etiamsi nuptiæ non accessissent. *Novell. Leon. 25. circa fin.* Faciunt huc statutorum nostrorum ea, in quibus filii familias passim his phrasibus indigitantur: *Kinder so Vatter und Mutter noch lebend haben/und die unberoten und unußgewiesfen sind. i. e. qui cælibes sunt, & qui nulla bona separata à paternis habent.* Item: *Kinder die ia Vatter und Mutter Neuß und Brodt und nit usßgewiesfen sind. ut in artic. Were auch daß dehetne Kinder. In Ordinatione de Contractib. typis expressa p. 19. sub rubr. Kinder so noch Vatter und Mutter oder Vögte haben /sollen ohne dem Wissen und Willen keine schulden machen.* Hinc apparet liberos, qui vitæ rationem à parentum convictu aut domicilio seperatam instituerunt, sive coniugium accesserit sive minus, in nostra Repub, haberi pro emancipatis.

CAP.



s.
C A P. II.

De Tutela & Cura.

Jure Civili Justinianæo pupilli & pupillæ usque ad pubertatem, (quæ in illis incipere censetur decimo quarto; in his duodecimo ætatis anno. *princ. Inst. quib. mod. tut. fin.*) sub Tutoribus vivere coguntur. *d. et. princ. §. penult. & ult. Inst. de Attilian. tut.* Atque hi post finitam hoc vel alio modo tutelam, non prius, rationem administratæ tutelæ reddere tenentur. *d. §. ult. l. 9. §. 4. ff. de tut. & rat. distr.* Imo absurdum videbatur à Tutore rationem administrationis negotiorum pupilli reposci, in quâ adhuc perseveraret. *d. l. 9. §. 4.* Nec cogi poterat tutor, ut postea eiusdem minoris curam gereret, licet ab illius Parente quondam, in cuius testamento tutor datus erat, etiam curator designatus fuisset. *§. 18. Inst. de Excus. tut.* Pupillorum itaque, si ad pubertatem devenerant, jura insignem mutationem patiebantur. Non enim cogebantur in posterum alieno arbitrio vivere. Curatores invitati, siquidem sanæ mentis erant, non accipiebant, præterquam in litem *§. 2. Inst. de Curator.* Nec aliàs ipsis dabantur Curatores, nisi ipsi petierint. *l. 3. §. 2. ff. de tutel. vid. Coll. tur. Argent. th. 17. de tut. vel curat. dat.* et si semel acceptos retinere tenebantur, licet benè rem suam gerere potuerint; *quomodo legem 1. §. fin. ff. de minorib. cum d. et. §. 2. Inst. de Curat. conciliat Locam. in not. ad d. §.* Retinere, inquam, tenebantur Curatores usque ad 25. ætatis annum completum. *princ. Inst. de Curat.* Nisi veniam ætatis ab Imperatore impetraverint, quod anno vigesimo completo facere poterant, *l. 2. princ. Cod. de his qui veniam atatis.* Ac licet sub curatore vixerint, non tamè PERSONÆ datus censebatur, sed REI tantum five BONIS, secus ac Tutor, *§. 4. Inst. qui testam. tut. dar. l. 8. C. de nupt. ibi: solam rei familiaris si stinet administration.* Nec enim sub ipsorum arbitrio aut regimine quodam vivebant, sed in negotiis gerendis eorundem consilio solum utebantur. *fac. d. l. 1. §. fin. ff. de minor.* Pupillus quidem si quid sine tutoris autoritate gesserat, id ipso jure nullum erat. Unde nemini se poterat obliga-

703
6.
re. *princ. Inst. de autoritate tut.* Minorum autem seu Adolescentum contractus, sine consensu Curatoris celebrati, non fuerunt ipso jure invalidi, sed constiterunt. *l. 24. §. 1. ff. de minorib. l. 101. de Verb. Obl.* licet consensus Curatoris certius illis pondus addiderit. *Corvin. in Enchirid. inst. quæst. penult. de Curat. add. Locam. in not. ad princ. Inst. de Curat.* Quemadmodum autem tutores non nisi finitâ tutelâ, ut supra diximus, rationem administrationis reddere tenentur, sic etiam Curatores non nisi finitâ Curâ. *l. 14. Cod. de adminstr. tut.* Porro quod ætatem Tutorum & Curatorum attinet, tenendum quod annum ætatis, minimum vigesimum quintum impleisse debuerint, quando id muneris ipsis sustinendum erat. *§. 13. Inst. de Excusat.* Id denique notandum, tutelam & curam jure Justiniano onera fuisse gratis subeunda regulariter, *fac. §. 6. & ibi not. Locam. Inst. d. t. de Excus. l. 33. §. fin. de adminstr. & peric. tut.*

In nostra Republ. hæc se paulò aliter habent. Primò enim illa, de qua dixi, mutatio non accidit circa pupillos cum decimum quartum, aut pupillas cum duodecimum ætatis annū impleverunt. Nam nec tutor tum temporis liberatur ab onere suo, quod hætenus gessit, nec nomen tutoris, aut jura quæ antea in pupillum habuit, amittit, & consequenter II. Adolescens tutorem retinere cogitur, ita ut in ipsius arbitrio positum non sit Tutorem Curatoremve, more Romano, petat, an ipse rem suam gerat. Retinere autem hunc cogitur III. non ad annum ætatis usque 25. sed tantum vigesimum completum, quo tempore tutorem dimittere potest, & sibi in posterum ipse prospicere, nec opus est ad hoc impetratâ ætatis veniâ, *per Statutum Msc. in nostro Exemplari fol. 9. fac. 2. cuius verba quoniam pauca sunt, integra adscribimus.* Wann ein Kind / es sey Knab oder Tochter zwanzig jahr alt ist / von dem tag / so es gebohren ist / ob es seine Sinn hat / soll und mag es wol selbs sein Vogt seyn über sein gut / und mag thun und lohn / was es will mit seinem gut. Jam autem si ve Tutorem voces si ve Curatorem, qui puberi datur, non potest hic pubes cum quoquam, quod IV. differentiam constituit, quicquam contrahere, aut similes actus celebrare, sine tutoris si ve

sive curatoris sui autoritate & consilio, qui ullo modo subsistere possent, si quantitas aut precium illius negotii superet dimidium florenum. Ita quidem ut illa negocia nec tutorem obligent, nec ipsum pupillum si dimisso tutore sui arbitrii fiat, licet fortè sub hâc conditione sint inita, *ut habet artic: supr. allegat. in ordin: de Contract. p. 19.* Were auch das de heyne Kinder. &c. sic V. Non demum finitâ tutelâ, sed quotannis rationem administrationis suæ reddere tenentur tutores nostri, in quo sequimur Ordin. Polit. Imper de anno 1548. tit. 31. & eandem repetitam Anno 1577. tit. 32. S Item daß er nach &c. ibi: und jährlich nicht allein auff erforderen der Oberkeit / sondern auch selbs / vermög seines anbefohlenen ampts / auch gelenkten pflichts und endts / gebührliche rechenschaft anbieten und thun / umb sein verwaltung rede und antwort geben. &c. VI. Apud nos vigesimo quarto ætatis anno exacto incipit quis ad tutelam vel curam gerendam idoneus esse, atque adeo uno anno maturius, quam jure Justinianæo. *per paulo ante alleg: artic.* Wann ein Kind es sey Knab. &c. *in nostro exempl. fol. 92. cuius verba finalia sic habent:* Es mag niemand deß andern vogt sein er sey dann 24. Jahr alt oder mehr. VII. denique Tutelam aut Curam nemo gratis & sine ullo salario gerere tenetur in nostra Repub. Sed pro modo facultatum pupilli, annuum præmium licet exiguum constitui debet tutoribus. Præter hoc si bona pupilli, multis litibus aut aliis molestiis & difficultatibus sint implicata, tum poterit tutor, cum consilio propinquorum pupilli, procuratorem ad illa negocia pro certo, æquo tamen, salario constituere, aut omisso tali procuratore, ipse pro tali salario illis negociis invigilare. *juxta artic: und uff daß ein vogt. &c. sub rubr. Von der Vögt belohnung. in MSC. nostr. Exempl. fol. 84. fac. 2.*

C A P. I I I.

De præscriptione Actionis familia Erciscunda.

Iure civ. Iustinianæo præscribitur huic actioni lapsu triginta
anno-

annorum, atque adeo longissimo tempore. *text. express: in l. 1. §. 1. verb. Nemo itaq.* C. de Annali except: *Ital: item l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Curritque hæc præscriptio adversus omnes, atque adeo etiam contra faminas, absentes, milites, minores. Soli enim pupilli excipiuntur, contra quos, licet tutores habeant, non currit, nisi post pubertatem. *d. l. 3. vers. non sexus fragilitate.* Nec poterit se quisquam ignorantia juris excusare. *d. l. 3. vers. fin.* De errore seu ignorantia facti dubitari posset. Sed probabilius videtur etiam adversus hanc præscriptionem currere. Licet enim hæc lex 3. mentionem faciat tantum ignorantia juris, lex tamen ultima *Cod. de præscript. long. temp. in fin. de ignorantia sine distinctione loquitur.* Nec obstabit, si quis dicat hanc l. ult. loqui de præscriptione longi temporis; nos autem de longissimi. Si enim longi temporis præscriptio currit adversus ignorantes factum, multo magis id faciet longissimum tempus; quippe cuius præscriptio fortior est, & præscribentem securiorem reddit in jure suo. ut tum *ex d. l. 3. tum ex l. 4. in fin. ibi: plenissima munitione securus. Cod. de præscr. 30, vel 40. ann.* apparet. Plenissime autem securus non est, qui restitutionem ex capite ignorantia timere necesse habet. Vnde Wesembecius *in parat. tit. ex quib. caus. maj: num. 10.* recte videtur dissentire à Communi Doctorum opinione, qui statuunt, etiam adversus longissimi temporis præscriptionem restitutionem dari ex capite ignorantia; quod duabus rationibus revellit, quæ videri possunt *d. n. 10. dict. tit. ex quib. caus. maj.* Quamvis ipse fluctuet, & *in tit. de usurp. & usucap. n. 14. & tit. de divers. & tempor. præscr. n. ult. dictam* Doctorum opinionem approbare videatur. Hahnus autem *in not. ad dict. tit. de usurpat. & usucap. ut & ad tit. ex quib. caus. majores. n. 10. & ad tit. de in integr. rest. n. 1.* Wesembecii priorem sententiam defendit, & ad contraria argumenta respondet, ostenditque ex tribus specialibus casibus restitutionem dari ob errorem facti, qui nihil ad præscriptionum materiam attinent.

Iure nostro hæc actio longi temporis præscriptione, id est decem annis inter præsentem, viginti inter absentes excluditur, per antiquum artic: qui inter statut. nostra *MSC. fol. m. 102.* habetur,



betur, quem etiam, quoniam non adeo prolixus est, nec unam tantum differentiam à Iure Justiniano continet, integrum transcribere placuit:

**Gewehr der Zehen Jahr / an den
man theylung fordert.**

Ist daß einer vor Meister und Rhat an den andern klaget / von theylung wegen der güter / so er geerbt hat / mag jener an den man klaget mit Zween oder mehr Ehrbaren leuten fürbringen / daß er zehen Jahr daß erbe / darumb man theylung an ihn fordert / inne und herbracht habe bey gutem gericht unversprechenlichen / und bey dem der also theylung fordert. Vnd auch der die theylung fordert / die zehen Jahr zu seinen tagen kommen / und im land were; und will dazu jener / an den man theylung fordert / von des erbs wegen schwören / daß er ihme nit darumb schuldig sey / des soll der genießen / und soll ledig sein. Schwür auch einer der die theilung fordert / daß er nicht gewußt habe / daß jener ihm theilung thun soll / und daß bey einem Jahr ungevorlich erst empfunden hett / dem soll daß an seinen rechten kein schaden bringen.

Quod statutum à jure Civ. Justiniano I. in eo differt, quod, ut dictum est, hoc requirat longissimum tempus ad dictæ actionis præscriptionem; illud autem longum solummodo tempus. Quam differentiam quoniam sequuntur cæteræ, quæ inter longi & longissimi temporis præscriptionem intercedunt, ideo differt II. in eo, quod jure nostro intersit utrum Actor præsens an absens fuerit. Illo enim casu decennium requiritur. *ibi.* bey dem der also theylung fordert. & *mox:* und im land were. Hoc autem casu viginti annorum lapsus: quod tamen si statuti hujus verbis non sit expressum, menti tamen illius omnino consentaneum est, præsertim cum statuta secundum jus commune sint explicanda. Iure a. civili non interest, absens an præsens quis fuerit. pariter enim uterque ab hâc actione excluditur. *d.l. 3. Cod. de præscript 30. vel. 40. ann.* Porro si verba illa: zu seinen tagen kommen / non de pubertate sed majorennitate intelligenda sunt, ut quidem omnino intelligenda esse suadent plurima statutorum nostrorum, in quibus hunc sensum habent, ideo dif-

B

ferentia

ferentia Tertia est, quod Jure Justinianæo currat hæc præscriptio etiam contra minores, ut supra dictum est; Jure autem nostro minores non secus ac impuberes restituantur. Ita enim ex jure communi interpretamur verba ista: und auch der die theilung fordert/die zehen jahr zu seinen tagen kommen, ut scilicet: idem significet, ac si hoc modo scripta essent: die Zehē jahr bey seinē tagen gewesen. Quod si quis tam tenaciter verbis inhæreret vellet, ut rejectâ nostrâ interpretatione ita explicaret, ac si sufficeret currente decennio actor ad majorem ætatem devenisse, nec præcisè requiri, ut ante illud decennium jam major factus sit, dicendum esset hæc præscriptionem jure nostro differre non tantum à longissimi, sed etiam à longi temporis præscriptione juris Justinianæi. Hæc enim tum demum currere incipit, quando ad majorem ætatem dominus rei pervenit. *l. 3. Cod. quib. non obijcitur.* Illa autem non incipit nisi post pubertatem, ut supra dictum est. *ex l. 3. Cod. de præscript. 30 vel 40. ann.* I V. differunt in eo, quod hujus actionis præscriptio jure Justinianæo currat etiam aduersus ignorantes, ut latè ostensum est; jure autem nostro detur restitutio ex capite ignorantia. *ibi: daß er nicht gewußt habe/daß jener ihm theilung thun soll.* Potest V. notari differentia, quæ in tempore in integrum restitutionis intercedit inter jus Justinianæi & nostrum. Illo enim jure quadriennium restitutionis petitioni patet. *l. ult. Cod. de temp. in integ. rest.* Statuti autem hujus nostri verbis, *ibi: bey einem jahr vozevohrslich erst empfunden hette/* tantum temporis spacium minime concedi videtur. Notandum denique est, quod licet allegatum statutum loquatur de actione familiæ erciscundæ, eadem tamen omnia, quæ de hac actione diximus, etiam obtinere in hereditatis petitione, ut aliud ex MSC. statutum: jisdem pene verbis constans indicio est. *dict. exemplari nostro fol. 55.*

C A P. IV.

*De Pralatione conjugis & fisci in
successione sine testamento
defuncti.*

Differentias quæ occurrunt inter jus Justinianæum & nostra statuta circa materiam successionis ab intestato, accuratè notavit Jureconsultus supra laudem Ioh. Otto Tabor *in Elem. Jurisprud. part. 3. sect. 3.* ita ut hoc loco idem repetere labor esset omnino supervacuus. At quoniam illæ differentia ibidem notatæ sunt, de quibus expressa statuta in nostra Republica lata sunt; insignis autem præter illas etiam differentia occurrit circa pralationem conjugis aut fisci in bonis sine testamento defuncti, in quâ jus Justinianæum moribus nostris & diuturnâ consuetudine mutatum est, illud addere hoc loco constitui. Illo enim jure Conjugi sine testamento defuncto conjux superstes succedebat, quoties parentes, liberi, propinqui deficiebant, atque adeo fiscum excludebat. *l. un. Cod. unde vir & ux.* Nisi vel alterius necem machinatus sit conjux superstes, vel tempore mortis separati fuissent. *Corvin. in Enchirid. Inst. tit. de hered. quæ ab intest. def.* Nostris autem moribus fiscus excludit Conjugem, ut plurimis casibus sine variatione memini observatum. Quod etiam æquius puto & voluntati defuncti convenientius, qui dum nullos sibi propinquos esse novit, nec per expressam testamento voluntatem ad Conjugem bona sua transmittit, non hanc sibi sed fiscum heredem existere velle, non absurdè conjicitur. Jure porro Justinianæo etiam liberis existentibus nonnunquam conjux in partem bonorum defuncti conjugis successit. Quando enim matrimonium sine dote fuit, & defunctus maritus locuples uxorem inopem reliquit, ipsa in quartam partem, liberis tribus extantibus; & in portionem virilem, si plures fuerint, unâ cum illis admissa fuit. *Auth. præterea. d. l. un. Cod. unde vir & ux.*

B 2

quod

quod similiter hodie nostra in Republica non est in usu, nisi quod illi conjugis superstitis inopiæ aliâ plerunque via prospicitur, dum scilicet bonorum ususfructus vel ad certum tempus vel ad dies vitæ à defuncto relinquitur. Pulchriori sanè ratione, quam juris Justinianæi hac in parte fuit observatio; cum hoc modo liberis bonorum debitorum proprietate intactâ manente, egenti conjugui nihilominus sit prospectum.

C A P. V.

De questione, utrum necessarii sibi invicem jus dicere possint?

Jure Justinianæo posse quem in suorum causa jus dicere apparet ex *l. 77. ff. de judicijs. & l. 6. de recept. arb.* quibus in legibus manifestè asseritur parentem in causa filii, & contra, judicem esse posse. Videndum tamen his textibus an contradicant *lex 10. de jurisdictione & l. 48. de judicijs.* Illa sic habet: *Qui jurisdictioni præst, nec sibi jus dicere debet, nec uxori, vel liberis suis, nec libertis vel cæteris quos secum habet.* Ubi expressè negatur filio suo aut cæteris necessariis quenquam jus dicere posse. *lex autem 48. de jud:* prohibet magistratibus eo anno, quo cum imperio sunt, suorum causam in iudicium admittere. Gothofredus *in notis ad d. l. 77.* distinguit inter res contentiosæ & voluntariæ jurisdictionis, ac de his loqui putat *l. 77. de judic:* de illis *l. 10. de jurisdic:* intelligendam censet, ita ut pater de filio, aut contra, judicare possit quidem in rebus voluntariæ, non autem contentiosæ jurisdictionis. Pacius *in Enantioph. Centur. 1. q. 57.* recenset Duareni opinionem, qui distinguit inter *JUS DICERE, & JUDICARE.* de hoc loqui *leg: 77. de jud. de illo l. 10. de jurisd.* Sed huic rejectæ præfert distinctionem Cujacii inter verbum *POSSE, & DEBERE;* posse nimirum filiumfam: de re patris, aut contra, judicem esse stricto jure, sed id fieri non debere, quod propter naturalem affectum hoc esset quodam-

quodammodo in propria causa judicem esse. Hanc, inquam conciliationem præfert quidem Pacius priori, sed addit denique distinctionem illam, quam Gothofredum amplecti dicere occupavimus. Quam a. Pacius in Duareno damnat, eam Petrus de Greve in *Exercitat. ad ff. nuper vulgatis. pag. 40, & seq.* fovet & suam facit, putans filiumfam. in causa parentis, aut contra, JUDICARE quidem, ut judicem pedaneum posse, non JUS DICERE ut Magistratum. Sed rectè quidem à Pacio rejectam esse docet lex 13. ad *SC. Trebell.* in qua dicitur: filiumfam. Prætozem cogere posse parentem suum, ut hereditatem quam idem suspectam dicit, adeat, & restituat; nisi & per hanc ipsam legem Gothofredi opinio à Pacio recepta destrui videretur. Si enim dicendum esset, filium in causa patris, aut contra, judicem esse posse in causis tantum voluntariæ jurisdict. non contentiosæ, quæro quomodo patremfam. filius Prætor cogere possit ad hereditatem adeundam? Nonne hoc est jurisdictionis contentiosæ? Nam in rebus voluntariæ jurisdict. nulla coactione opus est. *fac. l. 2. ff. de offic. Procons. C. I. A. de jurisd. th. 25. in addition: Zoëtio in comment. ad dig. tit. de judicijs th. 24.* placet distinctio inter POSSE & DEBERE, quam etiam in Cujacio laudasse Pacium notavimus. Wesembecius *parat. de judic. §. 13.* distinguit inter judicia publica & privata, (quæ distinctionem suadere videtur *d. l. 77. de jud. quoniam dicit: In negotijs privatis &c.*) dum scribit, neminem in suorum causa judicem esse posse, in publica videlicet, ac capitali vel status causa, (de his loqui *l. 10. de jurisd.*) in privatis autem causis, posse quem suis judicem esse per *l. 77. de judic.* Nec metuendam putat suspicionem corrupti affectu judicii, quod judicare cogantur. *l. 13. §. 2 de vacat. & excus. mun.* cum publicum sit officium; coacto autem non æque adhærere suspicionem ut se ingerenti, &c. Hanc autem inter legum diversitatem, variantesque interpretum explanationes rem mei judicii vix fecerim. Si tamen nostrum quoque calculum addere liceret, existimarem, contradictionem forsitan evitari posse si Wesembecii distinctio jungatur illi quam Cujacio, Pacio, & Zoëtio placere diximus, ut scilicet, distinguatur inter Pos-

ter POSSE & DEBERE, hoc sensu: Patrem tribunal filii, aut filium parentis, non posse pro libitu detrectare, sed ipso jure teneri ut ibi compareat si vocetur; multòque magis cogi ut eum iudicem pedaneum ferat, si quidem ille suo jure uti velit, & hoc velle dicitur legem 6. de Receptis. Sive sit causa voluntariæ sive contentiosæ jurisdictionis, cuius exemplum præbet d. l. 13. ad SC Trebell. modo non sit publica. d. l. 77. de jud. Rectius tamen facturos tales iudices, imo propter naturalem affectum quodammodo obstrictos esse, ut suo jure in eo casu uti nolint d. l. 10. de iurisd. Sed vel illa negocia, si moram patiuntur, differant usque dum Magistratu abeant, quod velle videtur lex 48. de iudiciis, vel se excusent, aliumque iudicem ad eam causam dari postulent, quo facit l. 13. pr. de Vacat. & excus. mun. Quicquid autem huius sit, sufficit ad nostrum institutum, Jure Justinianæo posse patrem in re filii, & contra filium in re patris (atque adeo multo magis in re aliorum necessariorum & propinquorum) iudicem esse, quod tribus textibus affirmatur. l. 6. de recept. l. 77. de iudiciis. l. 13. ad SC Trebell.

Nostrâ verò in Republica diuturna consuetudine, & rectè quidem introductum est, ut litigantium non modo parentes aut filii; sed & qui tertio gradu tum cognationis tum affinitatis illis juncti sunt, iudicum consessui exire teneantur. Neque hoc in contentiosæ tantum sed & voluntariæ jurisdictionis negociis obtinet, cum scilicet de personis muneris cuidam præficiendis, & sim. deliberatur.

C A P. VI.

De Pœna Adulterii.

Adulterium committitur, vel si vir coniugem habens cum alienâ uxore coit, quod à Doctorib. vocatur adulterium qualificatum, der Ober-Ehebruch. vel si vir cœlebs se commiscet cum uxore alienâ, quod vocant adulterium simplex. Imo etiam cum sponsâ alienâ adulterium committitur. l. 13. §. 3. ff. ad leg. jul. de adult. Ita tamen intellige cum uxore alienâ aut sponsâ adulte-

adulterium committi, si istæ alias honestis moribus fuerint. Si enim prostratæ sint pudicitia, seque meretricio more vulgo prostituant, cessat, jure quidem Justinianæo, in talibus adulterii crimen. *l. 22. Cod. de adult. C. I. A. h. t. th. 7. num. 10.* In virginem autem & viduam non committitur adulterium Jure Civ. Sed stuprum, tam à viro conjugato, *fac. l. 18. C. d. t. C. I. A. eod. th. 23. n. 27.* quam cœlibe. *l. 6. §. 1. & l. 34. §. 1. ff. d. t. de adulter.* Pœna jure Civ. tam adulteri quam adulteræ est tum publica tum privata. Hæc illum tum à Marito tum parente adulteræ manet. Maritus enim in adulterio uxoris deprehensum occidere potest impune, non tamen sine distinctione qualitatis personæ, & loci in quo deprehenditur. Si enim deprehendat eum qui leno fuerit, quive artem ludicram ante exercuerit, in scenam saltandi cantandive causa prodierit, judiciove publico damnatus, nec in integrum restitutus fuerit, aut libertum servumve proprium aut proximorum, idque domi suæ non etiam foceri, tum impune eum necabit. *l. 24. pr. ff. d. t. de adult.* Non ergo licebit hoc marito, si honestioris conditionis fuerit adulter, aut in alio loco deprehensus, quam in domo mariti, nisi quod post Novell. 117. maritus suspectum de uxore, post trinam denunciationem in scriptis, sub præsentia trium testium factam, si invenerit in domo sua vel uxoris, vel adulteri, vel in popinis, aut Suburbanis, sine periculo interimere potest. Secus si alibi, & quid tum juris, vide in *Auth. si quis. Cod. d. t. de adult. ex Nov. 117. c. 15.*

At pater adulteræ aliquanto liberiores vindicandi huius criminis potestatem habet. Potest enim, si sit naturalis siue adoptivus *l. 22. pr. d. t. ff. de ad. modo tum temporis habeat eam in potestate, l. 23. §. 1. d. t. quemlibet adulterum filię sine distinctione conditionis. d. l. 22. §. ult. & l. 24. pr. d. t. (excepto tamen Patrono, l. 39. §. 9. & Magistratu, l. 24. §. 3. d. t.)* In ipsâ turpitudine deprehensum. *d. l. 23. pr.* domi suæ in qua habitat, aut etiam in domo generi *d. l. 23. §. 2. & 3.* occidere; idque in continenti statim ac eum deprehendit. Nec sufficit solum adulterum necare, sed debet uno prope ictu & uno impetu utrumque & adulterum & filiam occidere. Si tamen adultero occiso, filia profugiens
à pa-

à patre persequente, licet aliquot horæ ad hoc insumantur, occidatur, in continenti occisa videbitur. *d. l. 23. §. fin.* Parem ergo lex in utrumque exigit indignationem. *l. 32. pr. d. t.* Unde si alterutrum solum occidat, tenetur lege Cornelia. *d. l. 32. i. e.* ultimo supplicio dignus est. qui tamen rigor limitatur, si altero occiso, alter graviter vulneratus fuerit. Tum enim licet verbis legis non liberetur, rescriptis tamen Imperatorum impunitas ei conceditur, quia licet interempto adultero mulier supervixerit post tam gravia vulnera, magis fato quam voluntate parentis servata est. *d. l. 32. pr.* Notandum autem est, quod nec pater nec maritus hoc jus occidendi habeant, si ipsi lenones sint, vel aliquâ ignominia notati, aut filia ignominiosa sit, aut contra leges nupta. Illi enim soli jus occidendi habent, qui jure patris maritive accusare possunt. *l. 24. §. fin. junctâ l. 13. dict. tit.*

Publicam adulteri pœnam quod attinet, omnis adulter pœnâ gladii afficiendus est, §. 4. *Inst. de publ. jud. l. 30. Cod. d. t. de adult. Nov. 134. c. 10.* Ex bonis autem eius, si coniugem reliquit, dotem quidem & donationem propter nuptias, illa lucratur, residuum, aut si coniugem non reliquit, tota substantia ad ascendentes aut descendentes usque ad tertium gradum defertur; si tales autem personæ non extent, ad fiscum devolvitur. *d. Nov. 134. c. 10.*

Hæc de adultero. adulteram quod attinet, perinde ac adulter pœnæ tum privatæ tum publicæ subiacet. Poterat enim, quantum ad privatam, à parente occidi una cum adultero, secundum superius notata; non autem à marito. idque ideo quia pietas paterni nominis consilium pro liberis capere præsumitur, at mariti calor & impetus facile decernentis, fuit refrænandus. *l. 22. §. fin. d. t.* Si tamen maritus in adulterio deprehensam uxorem impetu doloris tractus interfecerit, non tenetur lege Corneliâ, sed sufficit eum in opus perpetuum damnari, si humilis sit; sin honestior, ad tempus relegari. *l. 38. §. 8. d. t. de adult. l. 1. §. fin. ad leg. Cornel. de sic.*

Quantum autem ad publicam adulteræ pœnam attinet;
utrum

utrum & hæc ultimo supplicio legis Corn. fuerit obnoxia jure Justiniano veteri, dubitari potest, quoniam expressis verbis id nusquam, nec in Institutis, nec Digestis, aut Codice legitur, (nam in d. §. 4. *Inst. h. r.* dicitur TEMERATORES alienarum nuptiarum, &c. in l. 30. *Cod. eod.* SACRILEGOS Nuptiarum &c. & sic de genere fœminino expressi nihil habetur) nisi quis dicat, genus masculinum sub se comprehendere fœmininum. *per l. 1. de V. S.* Quicquid autẽ sit, jure Novellarum mitior huic sexui pœna destinata est. Mulier enim huius criminis rea non afficitur ultimo supplicio, sed in Monasterium truditur, ita ut si maritus intra biennium eam velit recipere, hoc possit; sin nolit, aut intra biennium uxore non receptã, moriatur, tonderi debeat mulier, & monachicum habitum accipere, perpetuoq; in monasterio manere; circa bona eius hæc observatã distinctio, ut si descendentes reliquerit, hi succedant in besse, reliquo quadrante monasterio adjudicato, sin ascendentes solùm reliquerit, qui huic mulieris crimini non consenserunt, quadrantem accipiant, monasterium bessem; si nec ascendentes nec descendentes reliquerit, aut ascendentes consenserint in hoc crimen, tota substantia ad monasterium perveniat; servatis tamen illis pactis, quæ fortè in commodum mariti dotalibus instrumentis sunt illata. *Novell. 134. c. 10.* Atque hanc in punienda adultera lenitatem Justinianus extendit etiam ad gravius delictum. Nam nec eam adulteram ultimo supplicio affici jubet, quæ cum adultero jam olim ob id ipsum accusato, sed qui per prodicionem iudicum, aut aliã ratione pœnam effugerat, de novo rem veneream exercet, aut etiam illi nubit, sive marito superstite, sive mortuo; nec eam, inquam, adulteram ultimo supplicio affici voluit, verum itidem verberibus affectam, in monasterium, ut quamlibet aliam detrudi. *d: Nov. 134. c. 12.*

Utrum autem per præallegatum cap. 10. *Novell. 134.* non derogetur §. 2. c. 8. *Novell. 117.* ubi marito adulteræ ascribitur donatio propter nuptias, dos, & tanta paraphernorum pars quæ tertiam dotis partem exæquet, si liberos non habeat ex eo matrimonio; his autem, si adsint, dos & dicta paraphernorum portio

C

tio



270
 tio servari jubetur, id dubio non caret. Nos tamen missis aliorum opinionibus, cum Anton. Matthæo negabimus derogari, quia quæ utrinque dicuntur, simul stare possunt, si sic dicamus: Si uxor adulterium committit, retinet maritus donationem propter nuptias, dotem & tantam ex paraphernis portionem, quanta est tertia dotis. Lucratur item quæ vi pactorum dotalium ei debentur. Reliqua bona addicuntur monasterio in quod truditur, nisi à marito intra biennium recipiatur, aut si maneat in monasterio, nisi sint descendentes, quibus bes, aut ascendentes mulieris delicto non consentientes, quibus triens defertur. tum enim id demum, quod post hunc trientem, aut post descendentium bessem, reliquum erit, monasterio addicendum est. *vid. dict. Ant. Matth. in criminal. tit. de adult. 6.3.n.2.* ubi de his pulchrè & prolixè disserit. Quam rectè autem Justinianus crimen hoc in fœminino sexu mitius puniat, quam in masculino, de hoc videatur liberum & elegans iudicium eiusdem Matthæi *in dict. tract. de Crim. lib. 48. tit. 3. 6.2. §.3.*

Porro de accusatione huius criminis notandum est; cui, & quamdiu competat. Accusare enim non potest quilibet, licet sit iudicium publicum, sed proximæ maximèque necessariæ personæ, quas dolor ex hoc admissio præ aliis movere debet. tales sunt maritus, pater, patruus & avunculus. *l. 30. Cod. d. 1. de adult.* quibus fratrem addit Gudelinus *de jure noviss. l. 5. c. 18.* quo autem ordine hæ personæ ad accusandum fuerint admittæ, *vid. C. 1. A. b. t. 1b. 13.* Excluditur accusatio hæc ratione adulteri accusandi quinquennio continuo à die criminis admissi. *l. 11. §. 4. l. 29. §. 7. ff. d. 1.* quæ præscriptio non tantum in adulterio, sed quolibet crimine ex hæc lege Juliâ puniendo locum habet. *d. l. 29. §. 6.* Excipe tamen stuprum violentum. *d. l. 29. §. fin.* ut & adulterium cum incestu coniunctum. *l. 39. §. 5. ff. d. 1.* ratione adulteræ accusandæ excluditur spacio sex mensium utilium. *d. l. 29. §. 5.* quæ currere incipiunt in nuptâ quidem ex die divortii (jure enim veteri repudium prius mittere debuit maritus adulteræ, & postea demum eandem adulterii accusare. *vid. Gudelin. de iure Nov. lib. 5. c. 18. §. circa adulterium.*) in vidua autem ex die com-

com-

commisſi criminis ; qui tamen menſes utiles ſic computandi ſunt ne excedant quinquennium à dicto die perpetrati criminis. *d.l. 29. §. 5. adde C. l. A. d. l. th. 14.*

In noſtra Republica aliter ſe res habet circa huius criminis vindicationem. Primo enim licet Jure Juſtinianæo adulteris illi tantum accenſeantur, qui cum nuptâ venerem exercent, non etiam illi qui cum viduâ aut virgine, ſive coniugati ſint ſive cœlibes; apud nos tamen pro adultero habetur omnis coniugatus proprium thorum violans, ſive rem habeat cum ſoluta, ſive cum coniugata, ut apparet ex conſtitutione *de pœnâ adulteri*, in appendice noſtræ ordinat. *Polit. Tit. 19.* II. Illa privata vindicta, qua pater & maritus adulterum occidere impune poterant, moribus noſtris incognita eſt & inuſitata. quanquam & apud nos fortasſe à pœna ordinaria excuſaretur, qui eo in caſu juſtæ iræ parum moderari poſſet. III. Apud nos adulter non ſtatim ultimo ſupplicio afficitur, ſed mitiùs tractatur. Non enim niſi tertium deprehenſus aut convictus de hoc crimine, capite plectitur. Qui autem primâ vice accuſatur & convincitur, hanc pœnam ſuſtinet, ut per duas ſeptimanas in carcere detineatur, vitam non niſi pane & aquâ tolerare coactus, omni in poſterum aditu ad honeſta officia, aut dignitates ipſi præcluſo; aut ſi forte in honore quodam jam ſit conſtitutus, illo privetur. *dict. Conſtitut. artic. 1. ſub. rubr. Straff deſ Ehebruchs. §. 1. So ein Ehegemächte.* Talis ergo capitis ſui, imo etiam relegationis ſecurus eſt, niſi id urgeat coniux, quo caſu ad tempus, minimum unius anni ex urbe relegatur. *dict. artic. 1. §. und da das beleydigte. 3.* aut coniugatus ſtuprum (quod adulteriis annumerari jam diximus) inferat virgini fallacibus perſuaſionibus & promiſſis deceptæ; quo caſu præter dictam pœnam, hanc pro ipſius conditione & arbitrio judicis dotare tenetur; quod ſi præ inopia facere nequeat, relegatur tantisper dum ipſi defloratæ ſatiſfecerit. *dict. artic. 1. §. 1. verſ. und da ſolcher.* qui poſt hanc pœnam ſecunda vice in hoc crimen recidit, in perpetuum relegatur ex Episcopatu Argentinenſi, *d. artic. 1. §. Würde es aber zum andernmahl. 4.* Si cui denique poſt relegationem ex gra-

tia reditus in urbem concedatur, is autem tertium delinquat
 & vincatur, pœnæ gladii subiacet. *d. art. 1. §. Wa aber einige
 Person. 5.* Et hæc de pœna adulteri coniugati. Nam, (quod IV.
 differentiam constituit) cœlebs adulterii semel convictus in
 perpetuum relegatur, *d. art. 1. §. So ein lediger. 6.* atque ita acri-
 us punitur quam coniugatus, quod iure Justinianæo secus erat.
 V. Secundum statuta nostra non mitius tractatur adultera quam
 adulter; sed in utroque sexu eadem pœnâ vindicatur hoc deli-
 ctum, nisi ubi sexus diversitas necessariam requirit variatio-
 nem; puta quod adultera primùm convicta præter pœnam utri-
 que sexui communem, ad nullos in posterum honestos conven-
 tus, convivias, choreas, aut alias nuptiarum solennitates invita-
 ri debeat, aut per errorem invitata ibidem comparere, nec auri
 argenteive aut serici quicquam in vestimentis suis usurpare. *d. ar-
 tic. 1. §. So es aber ein Weibsbild. 2.* In genere porro supplicii,
 quod tertium convictos convictasve incurrere diximus, reperi-
 tur quidem aliqua differentia in statutis nostris. Mas enim de-
 collari, fœmina in aqua suffocari iubetur. *d. §. Wa aber einige
 Person. 5.* Sed hoc posterius supplicii genus hodie moribus
 nostris ab usu recessit, utroque sexu gladii pœnæ subiacente.
 VI. Iure Justin. non gravius animadvertitur in illam adulteram,
 quæ se palam & meretricio more prostituit, quam in quamli-
 bet aliam, quæ semel aut rarius, idque clam, thorum violavit;
 imo vix receptum videtur ut accusari adulterii possit, ut appa-
 ret *ex l. 10. §. 2. l. 13. §. 2. ff. h. t. junctâ l. 22. Cod. eod.* Apud nos seve-
 rius illæ quam hæc puniuntur, ut tum dict. *const. de pœna adulte-
 rij, artic. 1. §. oder so zwey Ehgemächt. fin.* item artic. 4. §. *Es sollen
 auch alle Sponsiererin /* tum exempla testantur. Similiter
 VII. licet iure Iustin. illi mares seu coniugati seu soluti, qui
 cum prostitutæ libidinis fœminis, nuptis aut innuptis, se mi-
 scuerunt, adulterii accusari nequeant. *d. l. 22. C. de adult.* nostro
 tamen iure non minùs, imo pro ratione circumstantiarum gra-
 vius, in hos licet primùm modo convictos, quàm in alios adul-
 teros animadvertitur, ut itidem tum *ex dict. Const. art. 1.* (ubi de
 nulla differentia inter adulterium uxori alienæ honestiori, &
 adulte-

adulterium uxori alienæ vulgatæ libidinis, illatum reperitur) tum ex consuetudine discimus. VII. In Republ. nostralocum non habet exceptio quinquennii in accusando adultero, nec sex mensium in adultera, quam jure Iustinianæo locum habere diximus. Quod partim *ex sæpe citat. Const. de pæn. adult. artic. de se Kuppler und Kupplerin. §. Wann auch jemand. ult. ibi: Wo der über furs oder lang in unser Stadt oder Dbrigkeit betretten wird.* partim pænarum exemplis edocemur. VIII. Ab usu quoq; recessit moribus nostris confiscatio bonorum adulteri, quæ jure Iust. obtinuit eo casu quo nullos adscendentes vel descendentes in tertio gradu reliquit. Sive enim sermo sit de adultero qui ad extremum supplicium, sive de eo qui ad leviolem pœnam damnatus est; illis succedunt qui alias ab intestato vocantur, imo nunquam permittitur illis ut in carcere testamentum condant. de horum pœna, quæ nullam confiscationem continet, paulo ante *ex dict. Const. de pæn. ad. dictum est.* Multo minus locum apud nos habet quod circa bona adulteræ Iustinianus disposuerat. Quemadmodum enim ille cœnobiorum usus, & illa adulteræ in cœnobium detrusio moribus nostris non obtinent, ita etiam illa bonorum addictio cœnobio facta nobis est incognita, sed eodem modo se habet res circa huius bona quo circa bona adulteri.

C A P. VII.

De Pœna Stupri.

Stuprum, quod scil. cum soluta, tam virgine, quam vidua, honestè vivente committitur, *l. 6. §. 1. l. 34. §. 1. ff. d. t. §. 4. Inst. de publ. jud.* est vel voluntarium vel violentum, vulgò Nohtzucht. Illud punitur publicatione dimidiæ partis bonorum, si Stuprator aliàs sit honestioris conditionis; sin humilioris, corporis coërcitione cum relegatione, *d. §. 4. Inst. de publ. jud.* Stuprum violentum qui committit, incidit in pœnam legis Iuliæ de vi publica. *l. 3. §. 4. ff. ad leg. Corn. de vi pub.* quæ olim erat aquæ & ignis interdictio, *l. 10. §. fin. d. t.* postea deportatio. *§. 8. Inst. de publ. jud.*

C 3

quam

quam regulariter ipso jure sequitur honorum publicatio, l. 14. §. 1. ff. de interdict. & relegat. Locam. in not. ad. §. 8. Inst. de pub. jud. lit. a. à qua pœna cur immunes sint qui virginem nondum viripotentem corrumpunt, & relegatione tantum puniantur si honestiores sint, vilioribus in metallum damnandis, l. 38. §. 3. ff. de pœnis, nulla ratio apparet. Hoc enim crimen speciem, & quidem satis atrocem esse stupri violenti, dubio caret; cum vix unquam sine vi adhibitâ poterit committi, aut certe sine subdolâ persuasione, sollicitatione & circumventionem, quæ tamen in fœminas etiam viripotentes adhibitæ, invitis illis censentur adhibitæ ac proinde vim arguunt teste Zoefio in comment. ad Dig. tit. de vi pub. n. 5. ex l. 3. §. 5. de liber hom. exhib. Unde etiam apud Athenienses, lege Solonis, ut teste Anton. Matthæo in criminal. ad leg. Jul. de adult. c. 5. n. 8. Duarenus ex Lysia notat, gravius puniebatur persuasio quam violentia, quia hæc corpus duntaxat, illa & animum corrumpit. Porro hic notandum est stupro obnoxium fieri & infamia notari eum qui cum conjugatus sit ficto cœlibatu cum aliâ sponsalia celebrat. l. 1. in fin. de his qui not. infam. l. 18. Cod. de adult.

Dixi stuprum cum virgine vel viduâ ingenuâ, honestæ conditionis, committi. Si enim cum libertâ, aut ingenuâ quidem, sed sordidis & obscuris natalibus oriundâ, aut quæ corpore quæstum facere dudum assuevit, rei venereæ vacet, extra pœnam est jure Justin: arg. l. 1. §. 1. junctâ l. 3. pr. ff. de concubinis. nec infamis proprie fit; aliqualem tamen existimationis læsionem incurrit. l. 25. C. d. t. de adult. Eodem modo illæ tantum, quæ virginis aut viduæ honestæ nomen habent, si stuprum admittant, tenentur lege Julia, non quæ servilis aut alias sordidæ conditionis sunt, ut supra similiter de adulteris dictum est. Has enim leges animadversione sua indignas censent, l. 29. C. d. t. infamiâ tamen notantur teste Coll. Jur. A. th. 23. de adult. Quam autem pœnam sustinet stuprata? si per dolum aut vim stuprum illatum sit, nullam l. 20. C. d. t. si lubenti, eandem quam lex Julia stupratoribus imponit. l. 18. & d. l. 20. C. d. t. Ant. Matth. dict. tract. lib. 48. t. 3. c. 5. n. 6.

Apud nos aliter paulò animadvertitur in hoc crimen.
Nam

Nam I. Stuprum violentum non tantum deportatione, sed ultimo supplicio punitur, *d. const. de pœn. ad. art. 2.* Wann ein Jungfraw. II. Voluntarium stuprum si cœlebs virgini blanditiis deceptæ inferat, non publicatione dimidiæ partis bonorum punitur, sed ipsam aut ducere aut dotare pro illius conditione, magistratusve arbitrio, tenetur; Quod si præ inopia præstare non possit, relegatur donec illi satisfecerit, *d. const. artic. 3. §.* Wann ein lediger 1. Quod si juvenis à virgine aut ipsius necessariis illectus aut quoquo modo deceptus, illi stuprum inferat, tum id stuprata aut quilibet cujus fraude id acciderit, pro facti circumstantiis, modo corpore, modo bonis, pro judicis arbitrio, luere tenetur. *d. art. §.* Wann sich aber begeben. 2. quæ pœna statuatur in conjugatum qui stuprum solutæ intulit, supra ostensum est; id hic notandum eam cui à conjugato stuprum infertur, eandem per nostra statuta pœnam sustinere, quam solutum qui cum conjugata adulterium committit, sustinere diximus, incarcerationem scilicet cum relegatione perpetuâ, *d. const. art. 1. §. gleicher gestalt. 7.* III. Ut adulterii sic & stupri accusatio apud nos nulla præscriptione excluditur, *d. const. artic. 5. §. fin.* IV. Qui puellam nondum viripotentem fallaci persuasione deceptam corrumpit, seu cœlebs sit sive conjugatus, pro facti circumstantiis tum famæ bonorumve jacturam, tum corporis coercionem, ultimum denique supplicium sustinere debet, *ut d. const. art. 3. §.* Wann auch ein Ehemann *ult.* atque ita condigna sceleri tanto pœna statuatur, quæ jure Justin. ultra relegationem in honestioribus, metallum in vilioribus non fuit extensa. V. Notandum, quod ille qui bina sponsalia celebrat, quem jure Justin. infamiæ & stupri pœnæ subjacere diximus, apud nos per vetus statutum *sub rubrica wex ein hur zu seinem Ehereib in sein haus sezet. in nostr. exemp. fol. 64. fac. 2.* oculis privari debeat, ut & mulier quæ cum maritum habeat, alteri se despondet VI. Qui quæve sponsalia secum aliquem vel aliquam contraxisse falso jactat, eo fine, ut alteri in contrahendis fortè aliis sponsalibus impedimento sit, re ab hoc quem alter ille impedire conatur, in judicium delata, & jactantis mendacio comperto, in perpetuum relegatur ex urbe, nec reditum

tum, nisi actore consentiente, impetrare potest; secundum antiquum statutum, *sub rubr. von ansprach der Ehegelübd die sich nicht also findet / quod habetur in nostr. MSC. fol. 62. fac. 2. cujus verba, quoniam breue est, integra apponemus.* Wer sich berühmt und außgibt / daß ihm einer oder eine die Ehe gelobt habe / und das geschicht von hinderung den leuten zuthun / oder von ruhms wegen / und sich nit find daß sollich wort ergangen sindt / die zu einer Eh mögen treffen / der oder die sollen nimmermehr gen Strasburg kommen / ohn des genad dem solches beschehe / ob er daß in flag fürbringer.. *Quod doli genus jure civ. non nisi stellionatus actione extra ordinem vindicari potuit, cum alius criminis titulus deficiat. l. 3. §. 1 ff stellion. VII. Prostibula quæ jure Justin. infamia quidem laborarunt, sed passim tolerabantur, in nostra republ. non tolerantur, sed deprehensa post incarcerationem relegantur. d. const. art. 4. §. Es sollen auch. VIII. Solent & illi qui post sponsalia, ante consummationem nuptiarum & solennem copulationem à Ministro Ecclesiæ perficiendam coeunt, plerumque incarceratione & multâ pecuniariâ, arbitrio Magistratus definiendâ puniri, quâ de re videatur d. const. art. 6. & ult.*

C A P. VIII.

De Pœna Lenocinij.

Lenocinium quot modis committatur & quotuplex sit, *vid. C. I. A. th. 5. de adul.* punitur autem hoc modo. Qui domum suâ præbet, ut cum aliena matrefam. tam nupta quam vidua adulterium committatur, item qui quæstum ex adulterio uxoris fecerit, afficitur secundum jus civ. eâdem pœnâ quâ adulter. *l. 8. pr. d. t. de adul.* ut et ille qui deprehensam in adulterio uxorem retinuerit *l. 2 §. 2. eod.* (quod tamen mutatum est, *Nov. 134. c. 10.* vigore cujus maritus etiam adulterii damnatam uxorem recipere sine lenocinii nota potest) Similiter uxor si ex adulterio mariti precium acceperit, punitur ut adultera. *l. 33 §. 2. eod.* Imo quilibet qui pro comperto stupro, ut illud non accuset, aliquid accipit, ex lege Iu-

ge Julia punitur, secus qui gratis accusationem remittit. *l. 29. §. 2. d. t.* Quod si quis patiatur uxorem delinquere non ob quæstum, sed negligentiam vel culpam, vel quandam patientiam vel nimiam credulitatem, extra pœnam legis Julix positus est. *l. 29. §. 4. d. t.* nec minus ille, qui matrimonium contemnens adulterio mulieris non indignatur, lubensque eam delinquere patitur. *l. 2. §. 3.* Lege ergo Juliâ id lenocinii genus nulli pœnæ subiacet, quo quis quæstum ex ancillis aut aliis vilioris conditionis personis, quæ meretricum nomine veniunt, percipit. Sed Imperatores Theodosius & Valentinianus etiam hoc non impune voluerunt, ideoque tales qui ancillas, præsertim invitas, ut et filias prostituunt, privatione patriæ aut dominicæ potestatis, infamiâ, exilio, aut metallo afficiendos constituerunt. *l. 6. & 7. Cod. de spectac. & scen. & lenon.* Et quoniam posterioribus Justiniani temporibus in vrbe Constantinopoli varii generis lenocinia supra modum grassabantur, ut videre est *ex nov. 14.* ideoque crescentibus delictis pœnas exasperandas ratus Justinianus ultimum supplicium in hujus criminis reos statuit; eum autem qui in domo sua non quidem ipse lenocinium exercet, patitur autem alium lenocinium ibidem exercere, decem libris auri multari voluit. *d. nov. 14.*

Aliam huic crimini pœnam statuta nostra destinarunt. I. enim qui domum suam vel hortum aliis præbet ad libidinem exercendam, leviori quidem quam jure Justinianæo pœnâ afficitur, dum illi multa tantum 10. florenorum imponitur. *d. const. artic. 5 § so auch iemand.* Sed II. si maritus uxorem aut parens filias prostituat, uterque aquâ suffocari jubetur. *d. art. 5. §.* *Wauch (als tander geschehen mag)* nec distinguitur, quod fiebat jure civ. accepto id precio, an gratis fecerint. III. Cæteræ personæ, quæ cœlibum aut conjugatorum illicitæ veneri ministerium præbent, quod vulgè *Rupplerey* vocamus (quod genus lenocinii his in terminis jure Justin. punitum non legimus) apud nos profacti circumstantiis aut numellæ innodantur, secutâ relegatione, aut etiam supplicium extremum subeunt. *d. artic. 5. §. 1. & 2.*

Annectâ aliquid huic capiti de pœna Sodomix, sed pauca

D

quoniam

niam de scelere infando non plura fari, aut peculiare caput ei tribuere constitui. Committitur hoc crimen (loquar autem cum venia castorum pectorum) si vel mas cum mare, vel foemina cum foemina, vel foemina cum mare, immutatâ naturâ, vel denique, quod omnium atrocissimum est, homo cum bruto nefariam libidinem exercet. Quorum scelerum pœna *l. 31. Cod. de adult. & §. 4. Inst. de de pub. jud.* refertur ultimum supplicium, confirmata quidem, mira tamen lenitate temperata *Novell. 77. & 141.* prolixè enim ibidem illorum criminum infantes suâ in pietate perseverare, fontes autem pœnitentiam agere monentur, pœnâ vix tribus verbis tactâ. Quæ res nimiam forte Justiniani clementiam & lenitatem, in extremæ & infandæ atrocitatis flagitiis vindicandis, arguere videtur. Id enim non est metu pœnarum malos terrere, & in ordinem redigere, atque adeo bonos efficere, ut loquitur *lex 1 §. 1 ff de iust. & iur.* Quid quod in Digestorum legibus huic crimini nullâ omnino pœna est præfinita præter pœnam stupri cum foeminis commissi; quemadmodum etiam lenocinium illius qui domum præbet ut stuprum cum masculo perpetretur, non aliter punitur ac illius qui stupro cum foemina committendo ædes suas præbuerit. *l. 8. pr. d. r. de adul. fit quidè nonnunquam mentio stupri in puerum, in tit. de lege Julia, ut l. 34. sed tamen hac lege infanda hæc libido pœnam, ut dictum est, cum stupro in virginem aut viduam honestam commisso, habet communem, ut ex toto dicto tit. de adul. videri potest. add. Gudelin. de jure noviss. lib. 5. c. 18. §. transeo ad pœn. u.* Hinc etiam stuprum violentum sive cum puero sive cum muliere perpetratum, eidem pœnæ legis Juliæ de vi publica, nempe deportationi subiacet. *l. 3. §. 4. ad leg. iul. de vi pub. quæ lenitas esset intolerabilis, nisi postmodum §. 4. Inst. de jud. pub. & d. l. 31. Cod. de adult. ultimum supplicium gladio inferendum crimini huic præfinitum esset. Videtur porro hujus criminis accusatio excludi de jure civ. lapsu 20 annorum, per l. 39. §. 5. d. 1. ff. de adult. & l. 12. C. de fals. Ant. Matth. in Criminal p. 462.*

Apud nos non tantum decollantur huius sceleris rei, sed & illorum cadavera igne comburuntur, secundum mandatum
Divinum

Divinum. Et cum cætera crimina ex lege Jul. vindicanda moribus nostris nullam temporis præscriptionem admittant, multo minus huius delicti ut omnium atrocissimi accusatio ullius temporis spacio excludetur.

C A P. IX.

De Concubinato.

Concubinatum (qui definiri potest, licita maris & fœminæ coniunctio individuum vitæ societatem continens, absque ritu & jure nuptiarum. *Coll. Iur. Arg. th. 2. h. t.*) toleravit quidem Justinianus, sed improbando, ut non absurdè Schottanus *in Exam. Iurid. de Concub.* Hinc eum temporibus anterioribus inter Romanos paganismo addictos vagæ libidini sine dubio propriorem, tot limitibus circumscripsit, ut ad justum coniugium proximè accesserit; pro justo certè Juris Gentium matrimonio civium Roman. haberi potuerit, nulla re nisi solennitatibus juris civilis destituto, à cuius justis nuptiis differebat quidem in nonnullis, nonnulla autem communia cum eo habebat. Primò enim consistebat inter eos tantum inter quos ratione sanguinis & affinitatis etiã justæ nuptiæ constare poterant. *l. 10. & 11. & passim Cod. de natural. lib.* licet honestam & ingenuam fœminam in concubinato habere sine testatione nemo potuerit, sed libertas tantum, aut ingenuas vilioris conditionis. *l. 3. ff. de concub. II.* Quemadmodum qui uxorem habet, ducere non potest aliam; ita etiã qui concubinam habuit, aliam superinducere non poterat; nisi prior aut morte aut quodam quasi repudio separata esset. *Nov. 18. c. 5.* III. In concubinato æquè ac in justo matrimonio abesse debuit omnis libido & adesse castitas. *d. nov. 18. c. 5. & Novell. 89. c. 12.* IV. Committitur in concubina adulterium ab extraneo. *l. 13 §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult.* V. Non dissolvitur concubinatus furore. *l. 2. ff. de concub.* VI. Liberi inde prognati non sunt spurii, sed naturales vocantur, paremque cum legitimis debent pietatem parentibus. *Auth. licet. l. 8. Cod. de natural. lib.* quæ omnia latius deducta vide *Coll. Iur. Arg. th. 2. de concub.*

370

concup. Unde apparet Jus Justinianæum non accusandum esse, quasi vagam quandam libidinem per concubinatum permiserit, ut rectè monet *Coll. iur. Arg. dict. loco.* Ideo nec Canones, rigidi alias Juris Justinianæi censores, abrogant Concubinatum, sed permissum olim Christianis patrum & conciliorum auctoritate docent *distinct. 34 c. 4. & 5.*

Dum tamen in Justiniano ob permissum concubinatum aut defendendo aut excusando laboramus, non ideo negamus rectius fieri si inter Christianos planè non toleratur; unde etiam in nostrâ Republ. nequaquam permissus est, arbitrariâ in reos pœnâ constitutâ *dict. Const. artic. 4. sub rubr. Zur Dnehe siken. § 1. quem integrum hic apponimus.* Wir verordnen setzen und wollen / daß niemands unserer Burger / Inwohner oder Hinderfassen / Geystlich oder Weltlich in unserer Stadt Graßburg und dero Burgbann zur Dnehe sike / sondern so iemands also befunden wird / der oder die sollen in haufft eingezogen / und nach eines Raths Erkenntniß gestrafft werden. Fuisse quidem olim in patria nostra non planè illicitum concubinatum, conjicere licet ex antiqua constitutione, quæ anno Chr. 1437. & ita ante ducentos viginti quatuor annos lata, ac in Ecclesia Cathedrali pro concione recitari, ut commodius innotesceret, jussâ est, ut habetur in nostro *Msc. fol. 107. & seq. sub rubr. Von denen die zur Dnehe siken.* In hac jubentur omnes qui tum concubinas aluerunt, aut ducere illas, si alias coniuges non habuerint, aut se ab illis separare; bonis quæ ad se invicem attulerunt, aut durante illa coniunctione compararunt, certâ lege dividendis, sumptusque ad liberorum, si fortè inde nati sint, alimenta erogandi duas tertias viro, reliquâ tertiâ muliere præbente, *ut dict. Const. prolixius continetur.* Licet de successione illorum liberorum tum ex testamento tum ab intestato, nihil ibi videam dispositum; circa quam quid jure Justinianæo observatum fuerit, peti potest *ex d. t. Cod. de nat. lib. Nov. 18. item Novell. 89 c. 12. & seq. Coll. iur. Ag. th. 8. de Concup.*

CAP.



CAP. ULTIMUM.

Plura quidem juriscapita collegeram, in quibus notabiles aliquot differentia inter utrumque jus occurrunt. Sed antequam omnibus ultima lima adderetur, certis ex causis ad prælum festinandum erat. Quare hoc loco finem labori huic imponam, si prius sequentes, quæ sub manu erant, differentias velut coronidem adjunxero. Jure civ. Justinianæo donare quidem sibi invicem conjuges non poterant regulariter. *l. 1. & toto tit. ff. de donat. inter vir. & ux. legata autem conjugi relinquere, l. 109. de legat. 1. l. 33. §. 2. de legat. 3. l. 19. C. eod. ut & heredem instituere conjugem non erat prohibitum. l. 5. Cod. de hered. instit.* Jure nostro nullum ex his fieri potest efficaciter, ut patet ex antiquo artic. sub rubr. *Kein ehgemächt soll dem andern etwas zum eigenthumb geben. in ordinat. de Contract. pag. 20. quem integrum, quoniam brevis est, juxta antiquum idioma exhibere placuit.* Dehein vnser burger mag geben sinem wibe / noch dehein wip vnser burgerin mag geben ihrem ehlichen manne / deheiner hand gut / daß die engenschaft sin sy / nuvent zu eime wideme. Weders under ihnen dem anderen gebe sin gut zu eigen / die giffit soll nit gelten in wellichen weg si geschehe. De cujus sensu cum variaretur, nonnullis de donatione inter vivos (ut verba suadere videntur) præcisè intelligentibus, aliis etiam ad heredis institutionem extendentibus; ab ipso Magistratu tandem ita declaratus est hic articulus, ut per eum non tantum donare sibi invicem conjuges constante matrimonio non possint; sed etiam testamento heredes se invicem instituere aut legata proprietatis (de usufructu enim relicto secus est) relinquere nequeant, sine speciali veniâ impetratâ. Licet autem heres institui apud nos non possit conjux testamento durante matrimonio facto; nihilominus ante nuptias instrumentis dotalibus de mutuâ successione pacisci possunt. Notabili rursus inter utrumque jus differentiâ. Jure namque Justinianæo transferri pactis hereditas regulariter non potuit *l. 19. C. de pact.*

Eodem jure Justin. Reus exceptiones suas non omnes si-

D 3

mul in

mul in medium afferre tenetur; sed unâ omiſſâ vel non probatâ, aliâ poſtea uti non prohibetur, ut ex l. 5. & 8. ff. de except. l. 43. de R. l. poſt VVeſemb. parat. n. 10. h. r. & Zoefium in comm. ad Dig. h. r. n. 30. & 33. C. l. A. th. 11. h. r. docet.

Secus eſt apud nos. Conſtitutum eſt enim ut Reus omnes ſuas exceptiones, tam dilatorias, quam peremptorias, ſimul & non diviſim interponat. Reform: Rathſordnung Tits von Termin der einreden oder außzügen. §. 2. fol. m. 21. f. 2. ibi. undt ſoll antworter auff diſen erſten Termin alle ſeine außzügliche einreden / ſo er hat / oder zu haben vermeynt / ſamentlich oder miteinander / und ſo er mit documenten oder Perſohnen dieſelbige zu beweifen haben wird / Articullirt übergeben / und nicht nach der erörterung oder entſcheid einer / allererſt die ander von neuem und diviſim fürwenden. & tit. vom erſten Termin der endlichen außzügen. §. 2. fol. 22 f. 2. ibi. ſo ſoll Antworter auff dieſen Rechtstag oder Termin all ſein peremptorial, Eliſſ, und defenſional articul, ſampſlich und zumahl produciren / und nicht ein endlichen außzug nach dem andern diviſim fürbringen. Ratio hujus rei hæc redditur, ne ſcil. lites temerè protrahantur. dicto §. 2. princ. damit auch gefährliche verlängerung deſſ proceſſ, deſto beſſer fürkommen werden möge. & §. 2. tituli ſuperius allegati von Termin der einreden. in fine, ibi: als dadurch der haupthandel lange zeit verhindert und außgezogen wird. Et hæc hactenus regularirer. limitatur enim hæc doctrina in caſu quo aut nova exceptio poſt terminum lapſum oritur, aut exceptionis antea quidem jam competentis, ſed ignoratæ, poſt id tempus demùm certior factus eſt reus, ſi id juramento præſtito affirmare poteſt. dict. tit. vom erſten Termin der endlichen außzügen. §. 2. ibi: es were dann ſach daß ſich hernacher etwas von neuem zutragen / oder erſt einer einredenderen er vor ſein wiſſens gehabt in erfahrung kommen were und dieſelbig mit einem leiſtlichen endt behalten möchte / alsdann undt anders nicht / ſoll ihm zugelaffen werden / ſeine weitere oder neue peremptorial Articul zu übergeben. Idem obtinet hodie jure Imperii noviffimo. Cammergerichts-Ordnung parte 3. Tit. 24. §. fin. ibi: ſampſlich miteinander in ſchriften. &c.

Sed

31.
Sed sistimus calamum hâc in materia, in quâ accuratius quid præstare illorum est qui altiori sunt ingenio ac eruditione præditi, nos, quantum exercitio Academico sufficere videbatur, pro ingenii modulo delineavimus. Interea

*Tu Proceres Urbemq, DEVS munimine sancto
Cinge, nec antiquo careant sac robore leges,
Vnde salus populi, divinaque gloria, donec
Ardua Cælorum volvetur machina, crescat.*

*Sacrosancta Trinitati sit laus, honor & gloria
in sempiterna secula Amen.*

*Ne sequens pagella vacaret, libuit exercitii
disputatorij gratia adicere quedam*

COROLLARIA

1.

*Non rectè definita videtur §. 8. Inst. de pub.
jud. Vis publica, quæ armis fit; Pri-
vata, quæ sine armis.*

2.

*Quæ pater in studia filij impendit, ea hic re-
gulariter in portionem ab intestato debi-
tam*

^{32.}
 tam imputare debet, nisi probet coheredi-
 bus, parentem id non credendi animo, sed
 ex pietate fecisse. Sic contra plurimos in-
 terpretum, qui onus probandi coheredi-
 bus incumbere docent, legem 50. ff. famil.
 exerciscund. explicamus.

^{3.}
 Frater sororem ducens non committit in-
 cestum Iure Gent.

^{4.}
 Superusurium accipere non semper est inju-
 stum.

^{5.}
 Usucapio & prescriptio effectu sunt idem.

^{6.}
 Non omnia quæ Deus facit, aut fieri per-
 mittit, sunt inter res hominibus licitas.

^{7.}
 Doctrina quorundam Mathematicorum
 de quiete Solis & motu Terræ non est
 contra S. Scripturam ac proinde non da-
 mnabilis.

Clarissimo

DN. JOH. JOACHIMO REMO,
Amico jucundissimo.

Iura per Augustos populis obtrusa subactis
Et Latij prisco condita scita foro,
Quodq; per & Grajos & seros Teutonas auctum
Nunc vastâ legum mole laborat opus,
Non satis est cepisse Tibi capere omnia nato,
Gloria civilis, REME, futura togæ:
Quin simili Patrias librans indagine leges
Ius ARGENTINAE detegis omne meæ,
Et quæ nostra nota discernant jura Latinis
Ingenio rixas discutiente doces.
Maçte animi, studijq; potens ingentibus ausis
Sic Romam illustra, sic genitale solum!
Quis meritis his æquus honor, quæ præmia reddi
Digna queant, Urbem poscit utramq; Themis?
Nec mora, Te lauro, lauro jubet utraq; cingi
Barbariæ victrix Invidiæq; Caput.
Quid, mea Musa, sedes? quid inertî pollice ludum
Contrahis? hic tacita non licet esse lyra.
Surge. Dea veniunt, ut, quam meruere, coronent
Vindicis aternâ tempora fronde sui.
Si quid habes operis, fac REMVS ad astra feratur
Carmine, fac plausu personet ista dies.
Cernis ut ingenij penetrantis acumine doctor
Detinet attonitas eloquioq; Deas?
Ut sibi jam concors ambæ gratantur haberi
Iustitia, REMO conciliante, decus?

Vive

*Vive tamen, p̄tiorq; malis enitere sacli
 Moribus, & Fama culmina perge sequi,
 Qua Batavi, qua Gallus habet, quibus invidet hospes,
 Qua fovet excelsos Ausonis ora viros.
 Tempus erit, quo dulce jubar sibi patria tellus
 Ex ornamentis quæret, Amice, tuis.
 Tunc miscibimini lætis amplexibus ambo:
 Urbis decus ipsa tuum, Tu decus Urbis eris.*

Ita verissimum adfectum
 testatur

C. KECK.

F I N I S.



ULB Halle
006 682 197


3



VDM








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



UGURALIS

~~XVII~~ 664. 1661, 6. XII. 8.

NTIÆ
E, INTER

NIANAÆUM,
RESVE AR.
SIUM

IXILIANTE
uthoritate

LISSIMI, ET
UM ORDINIS
TRIO

VTROQUE

HONORIBVS DO-
NSEQVENDIS

Examini
nuntur

O REMO,

nsi.
ocog₃ consuetis.

ATI,
LINIS.

LXI.

